

# Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.  
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s):

Rudelbach, Andreas Gottlob.; posuit Andreas  
Gottlob Rudelbach.

Titel | Title:

Vitam suam hucusque actam brevi narratione  
summe venerabili theologorum Academiae  
Fridericianae Erlangensis ordini oblatae

Udgivet år og sted | Publication time and place:

Lipsiae : typis Bernh. Tauchnitz Jun., 1842

Fysiske størrelse | Physical extent:

32 s.

## DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

## UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.



# VITAM SUAM HUCUSQUE ACTAM

BREVI NARRATIONE

## SUMME VENERABILI THEOLOGORUM

### ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS

#### ORDINI OBLATA

EXPOSUIT

**ANDREAS GOTTLÖB RUDELBACH**

Dr. THEOL. ET PHILOS., CONSISTORIO SCHOENBURGENSI ADSCRIPTUS CONSILIARIUS,  
SUPERINTENDENS, PASTOR GLAUCHAVIENSIS PRIMARIUS, SOCIETATIS LITERARIAE,  
QUAE HAFNIAE ANTIQUITATIBUS SEPTENTRIONALIBUS OPERAM NAVAT,  
SODALIS ORDINARIUS.

---

L I P S I A E

TYPIS BERNH. TAUCHNITZ JUN.

MDCCCLII.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

100 St. George Street, Toronto, Ontario

100 St. George Street

TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

100 St. George Street, Toronto, Ontario

UNIVERSITY OF TORONTO



100 St. George Street

**N**atus sum ego, **ANDREAS GOTTLOB RUDELBACH**, Hafniae, florentissima tunc temporis regni Daniae metropoli, a. 1792, III. Calend. Octobr., parentibus honestissimis, quos iam longo abhinc tempore vita defunctos lugeo, patre nimirum **IOANNE GODOFREDO HENRICO RUDELBACH**, Saxone, qui, e praefecturae Electoralis Liebenwerdensis oppidulo, Nauwalda, oriundus, posthac Torgaviae opificio victum sibi parans, anno, ni fallor, 1788, in Daniam concessit, matre pientissima **BRIGITTA CATHARINA OERSTROEM**, cuius avos in Scania rusticos milites degisse proditum mihi memini. Inter quatuor filios postumus (tres ante praematura morte parentibus filii erepti sunt) a primis fere cunabulis literarum elementis, quantum tener animus capere valebat, imbutus sum. Inprimis vero patri acceptum refero, quod puero pietatis quasi promulsidem gustandam praebuerit, dum me **SCHMOLKENII** pias meditationes nonnullosque Psalmos Davidicos mane vesperique recitare iussit, qua exercitatione (quum haec omnia corde memoriaque fixa tenerem) nescio an quid fructuosius ad vitam interiorem formandam revocandaque verae sanctimoniae principia postea se probaverit. Neque enim dissimulandum est, me iam mature periculosam

illam aleam subiisse, qua etiam hodie pueri, relicta optima factorum officiique moderatrice religione, omnem in eruditione ac doctrina comparanda operam collocant. Accedebat temporum illorum in patria, imo in Europa, misera conditio, qua quisque, veteri sprete disciplina, in omnia nova, nullo veri falsique discrimine habito, effreno cursu properabat; quae si minus puerili animo pervidere contigit, ipsa naturae vitiositas effecit, ut eo omni nisu ferrer. Fuit haec ipsa ratio ludi literarii Basedowiani, cui parentes optimi, suadente magistro literatissimo HILFELINGIO, me a. 1800. commiserunt, hoc certe (quod saepe mihi affirmarunt) providentes, ne sola, quam ex tenui re mihi relinquerent, haereditate defraudarer. Multa ibi, quae ad vitam civilem excolendam pertinent, magno studio tradita sunt, pauca vero, quae iuvenem recta ad Deum via pergere suaderent. Caeterum iste ludus eo tempore non erat ignobilis ob praeceptorum delectum et praestantiam, inter quos et HILFELINGIUS iam mihi memoratus, iusto forsitan aequior ingenii mei, at morum severissimus semper et aequus iudex. Postquam quinque annos et quod excurrit (1800 — 1805) sub his auspiciis militassem, dimiserunt me, linguarum recentiorum (Gallicae inprimis et Anglicae) haud spernenda copia pollentem, in caeteris rudiorum, nisi flagrantissimam plura addiscendi cupiditatem excipias. Quibus munitus ad scholam Latinam, quae iam Metropolitanae nomine gaudet, transii, audaciori sane conatu, si parentum mediocrem, mox et depressam fortunam dispicere potuissem. Sed ut his laeta spes affulsit, fore ut inceptum Deo favente

ad umbilicum perduceretur, ita animus mihi crevit, quum tanta magistrorum atque ipsius Rectoris Gymnasii, NICOLAI LANG NISSEN, Philologi inter Danos celeberrimi (cuius in me merita nunquam satis dignis laudibus efferre valeo), benevolentia exceptus sim, ut non solum primo statim anno minerval mihi cederent, sed etiam, felices tironis labores osculantes, partem laboris gratificarentur, qua re triennio absoluto in supremam Gymnasii classem cooptatus sum. Itaque fervidiori, quantum in puero, studio literis me dabam, sed earum dulcedine inebriatus, morum longe graviolem provinciam neglexi, et quo plures mihi cognitionis thesauros apertos videbam, eo magis animi longe pretiosioribus cimeliis excidi: brevi, in spiritualibus hebes factus sum, ut sapientiam lucrarer. Neque tamen praeterire fas est, solida me, inter haec bonarum literarum initia, Graecae inprimis atque Romanae literaturae fundamenta iecisse, quibus suffultus mox, quum ad patentiores Universitatis campos a. 1810. emitterer, ipse aliorum in Latine scribendo atque loquendo moderator evasi. Itaque cum caeteris *συμφιλολόγοις* palaestram quandam aperui, in qua nos iuvenes certatim veteris Romani ingenii vestigia, disertatiunculis scriptis atque percensitis, exprimere conati sumus. Mirifice vero alacritatem in literis colendis iuverunt tum historiae, qui nobis pandebantur, thesauri, tum philosophiae hucusque modo summis labiis gustata, iam plenioribus nobis rivis propinata, dulcedo. NICOLAUM TRESCHOW, philosophum, quippe summopere in id intentum, ut clarae dilucidaeque nobis instillarentur notiones, unice

adamavi; ex eius ore pependi, atque etiam nunc hunc gravissimum intelligendi auctorem, qui postea summis muneribus in regno Norvagiae perfunctus honorabilem senectutem multis scriptis illustravit, grata memoria recolo. Ex altera parte in historiae recessus penetrare voluptati mihi erat: haec inter manus ita terebatur, ut quum puer iam plura volumina (v. g. Stoeverianum opus, quo decimi octavi saeculi fata exponuntur) haud perfunctorie legissem, iam ad ipsos fontes me conferrem, unde gustum puriorem et saluberrimam doctrinam abunde me hausisse nunquam non profitebor. Erat et ferax, ut semper, patria nostra frugi historicorum, qui et iuniorum studia adminiculari et scientiae fines doctissimis commentationibus ac scriptis promovere egregie callebant, inter quos honoris causa nomino **ENGELSTOFTIUM**, **WERLAUFFIUM** et **FINNUM MAGNAEUM**, Islandum illum celeberrimum, quos omnes et magistros et amicos partim ob coniuncta studia veneror. Ex vivis iam excessit, qui me patris instar amplexus est, **ERASMUS NYERUP**, summum historiae literariae decus, Germanis etiam (ob „*Symbola in literaturam Teutonicam antiquiorem*“ et alia scripta) carissimum nomen, cui, si quid in libris describendis ac tota bibliothecarum ratione evolvenda praestiterim, id magna ex parte acceptum refero.

At pro imbecillitate humana, dum totum me in literis abdidi, dum undique acquisivi ac dives iam factus annuos quasi penus congeffi, dum nihil obstitit, quo minus omnium, quorum haec res erat, suffragiis ad grandiora niterer, ecce ex altera parte probrosa me, ut ita dicam, paupertas

invasit; quippe, Theologia Christiana posthabita ac fere spreta, etiam fidem pro mero phantasmate habebam, vel saltem, ac si cerea esset, ita inflectebam, ut meae rationis lumini assentire cogeretur. Coepi equidem, ut primum in civium academicorum album relatus ac, pro more patrio, examine, quod dicunt, philosophico perfunctus eram, etiam Theologiae operam dare; interfui praelectionibus BIRGERI THORLACHI, summi viri, in Matthaeum, MÜENTERI, episcopi Siaelandiae, doctorum sideris, in prophetas minores; sed iam tunc fastidium mihi creabat infucata sacrarum literarum simplicitas, nec requiescere poteram in iis, quae hominem, ut mihi erranti videbatur, deprimunt nativisque viribus spoliant. Igitur plenis velis in Poetarum immensos campos ferebar: ante omnia Graecae mihi literae in deliciis erant, quarum medullam, ex praescripto Romani Poetae: „Vos exemplaria Graeca nocturna versate manu, versate diurna,“ arripere conabar. Nihil inter haec exoptatius mihi evenire potuit, quam quod, iubente Facultate philosophica, quaestio cum praemio proponeretur „de indole ac dignitate dithyrambicae apud Graecos poeseos.“ ATHENAEUM perlustravi, fragmenta poetarum ibi asservata expendi, Mythographos Graecos in meum usum converti, quin omne Orientis mythorum feracissimum solum, CREUZERO praesertim tum duce, visitavi: improbo labore etiam nocturnum tempus huic operi impendi, quod praemium Facultatis a. 1815. reportavit, neque tamen, ob maiorem libri molem, prelo commissum est. Multa in hac via mihi occurrebant, quae subactius ingenium amplioraque studia provocabant, ad

quae iam me accingere promptissimus erat animus. Equidem tramitem quendam persequi et filum quasi studiorum perducere mihi videbar, dum historiam cum Philologicis coniungendo mox PLUTARCHUM, Moralia disserentem, mox Tragicos, interdum Mythographos et Historicos veterum evolvi, in id totus incumbens, ut antiquitatis mihi panderentur primordia; at quo minus haec studia integrum corpus conficerent, obstitit ipsa desultoria studendi ratio, ac nescio sane, an quis maiori quam ego temporis dispendio expertus sit, quam arduum ac lubricum sit illud *αὐτοδιδάσκεσθαι*, quod multi temere juvenibus commendant.

Quod vero, quam dixi, paupertas in divitem irruit, magno id documento erat, omnem pudorem nondum excussum esse; mansit, ut ita dicam, stimulus, qui etiam nolentem ad castiorem severioremque disciplinam, qua gustus, a pueritia instillatus, vim suam exserere posset, retrahere valebat: Deus, Spiritus Sanctus, quod nobis ex Christiana religione dicere fas est, animum reluctantem sibi aeternaeque veritati revinxit. Quae caeterum de conversione mea dicam, non habeo: hoc unum stat, Deum, omnis paternitatis, amoris ac misericordiae inexhaustum fontem patientia incredibili ac longanimitate (quo aptissimo vocabulo nos Christiani rem miram exprimere solemus) me vagum, imo extorrem persecutum esse, donec ipse cum Apostolo sentirem, nimis mihi durum fore, contra stimulum recalcitrare: hoc unum immobile stat, mihi in peccatorum vanitatisque sordibus demerso tam exoptabilem misericordiae lucem exortam fuisse, ut nil meis viribus

adscribere possem, sed omnia patri illi luminum, optimorum donorum auctori, referre cogerer. At vero patientiae huius gradus multiplices, infatigabilem hanc alliciendi ac pertrahendi artem quis non admiretur? Ego certe, quoties huc animus revertitur, obstupefactus maneo, atque nihil habeo, quod referam, nisi preces tacitas, tacitum gaudium. In summo rerum discrimine sacer mihi Codex praesto erat; conabar (et hoc quidem Philologum, imo Historicum decere putabam), quid vires meae in explicandis his tricis valerent; ducem, quod ad Evangelia adtinet, PAULUM Heidelbergensem mihi elegi, quem sane (Deo sit laus) passibus non aequis secutus sum. Nam dum omnes nervos eo intendi, ut veritatem evangelicam ope male sanae interpretationis eliderem, ecce persuasio mihi oboriebatur, mox et vinctum me tenuit, nulla humana arte nulloque rationis compendio veritates illas evelli, quibus nititur Christiana nostra religio, quae multo potius, divini auctoris ingenium referentes, rupis instar protervum hominem obruunt, ipsae inconcussae manentes. Deus vero Ter Optimus Maximus, ne in hoc merae probabilitatis limine subsisterem, gratiose providit, gustum mihi coelestium illarum veritatum addidit, amore Spiritus sui eiusque bonorum paullatim me imbuit, aeternisque lucis verbi divini radiis perfudit. Suave mihi fuerat, cum antiquis sapientibus sermones conferre, imo, proh dolor, nimio eorum gustu abripi me passus eram: longe suaviora, vere coeleste quid spirantia, fiebant mihi summae sapientiae dictamina, ingenua illa, nativa, incomparabilis divini sermonis vis, quae,

quo purius sese animis insinuat, eo certius volentes abducit atque in aeternum sibi devincit. Sublime quid suspicatus eram in egregiis veterum poëtis, neque immerito, si modo probe tenuissem, etiam has veri atque pulchri scintillas a summo lucis fonte profectas esse, quae ipsas tenebras permeat: sublimiora vero, grandiora ac supra omnem humanum modulum evecta mihi sese probarunt, quae mira prorsus simplicitate in Bibliorum volumine Deum auctorem indigitant. Opus nunc erat, ut, reiectis mere humanis adminiculis spretisque erroribus illis, qui coeci coecorum duces merito audiunt, ipsam Scripturam sacram loquentem audirem, quo mihi aures ingenuorum discipulorum more rite aperirentur. Itaque dubiis, si quae supererant, Deo relictis, lumineque gavisus, quo iam suprema vitae humanae mysteria, verae iustitiae rationem vitaeque optabilem exitum pervidi, primum Veteris Foederis volumina, a summo incipiens ad imum, quod linguae rationes attinet, praeter Gesehii, Cel. viri, optimam e grammaticis scriptis institutionem, Iudaei cuiusdam haud indocti opera usus, assidua lectione atque meditatione comprehendere. Tum, si minus eodem ordine, tamen eodem animo Novi Foederis libros evolvi, historiam ecclesiae Christianae, dogmatum morumque doctrinam, ceteras theologicas disciplinas pertractavi. Intra biennium denique examini, quod vocant, theologico sustinendo par eram, a quo 1820. omnium doctorum sublatus suffragiis honorificentissimisque encomiis ornatus abii, quippe illi, sin etiam ex parte theologiam a me initam rationem spernerent, philologicam tamen vehe-

menter probabant dexteritatem. Mox ex patrio more homiletico seminario adscriptus per annum et quod excurrit in sermonibus e suggestu habendis vires exercui, atque, concione sacra (super Evangelium de magna coena Luc. XIV.) speciminis loco habita in Candidatorum sacri muneris album relatus sum.

Hic vero erat labor, cuius praemia non frustra petebantur, haec via perennes fructus colligendi, quam Deo volente inieram. Nam rerum in ecclesia facies per id decennium, quo studiorum causa in Academia versatus eram, multis modis in melius mutata est. Tempora, olim deserta, iam auditorum corona stipabantur, quoties divinum ea verbum personabat, deserebantur e contrario, ubi merae humanae rationis figmenta pro divinis oraculis venditabantur. Emerserant viri, summis ingenii dotibus conspicui, qui maximo sibi ducebant honori, praestantissimum verbi semen spargendo salutiferae crucis Christi laudes praedicare, inter quos MYNSTERUS et GRUNDTVIGIUS facile principes erant. Equidem dum haec animo volvebam ac quasi manu divinae providentiae documentum tenebam, rarius tamen publice coram Christiano populo verba feci, sed veterem illam, unde egressus eram, disciplinam cum hac coelesti coniungens, in omnes ethicae doctrinae rationes discurrebam, PLATONEM imprimis, qui sapientiae praecepta non tam adpersit animis, quam insculpsit, atque ARISTOTELEM, subtilissimum illud ingenium, mihi adsocians, ambos vero ex doctrina Christiana nunc iusta lance ponderans. Evolvi praeterea inque meas tabulas retuli quotquot ex veteribus

et recentioribus morum doctrinam illustraverant, haec ante omnia, SCHLEIERMACHERI (in egregio illo opere, quod „adumbrationem criticae Ethicae“ sistit) observatis vestigiis, inquirens, qua ratione quove successu summum Ethices principium quaesitum sit. Primitias horum studiorum dissertatione ad summos in philosophia honores adipiscendos, cum hac epigraphe: „de Ethices principiis hucusque vulgo traditis“ (1822), complexus sum, quam scriptionem Facultas nostra philosophica“ eximia cum doctrina et intelligenti iudicio nec non ingenii acumine dictionisque, quatenus eam argumenti ratio permittebat, proprietate conscriptam“ nimis benevole iudicavit. At cum totus in Christianae doctrinae integritate vindicanda occupatus essem, cumque hoc mihi etiam ista dissertatione propositum fuisset, ut demonstrarem, verum Ethices principium haud nasci, multo minus cerni et adaptari posse, nisi dato bonitatis omnis Archetypo, qui ipse humanam sibi adsumsit naturam, non fieri potuit, quin subtilius et accuratius in omnes illos scriptores, qui data opera Christianismum defendere solidisque argumentis munire adnisi sunt, inquirerem. Inter horum temporis prae ceteris Scholastici doctores me allecebant, nec poenituit me operae, quam humile saepe ac squalore obsitum dicendi genus indaganti imposuit. Mihi dumtaxat illa floridorum pratorum instar erant, dummodo ex asperis et arduis consummatus intelligentiae fructus ultro sese obferret. Admirabar profunditatem ANSELMI, inexhaustam THOMAE AQUINATIS ubertatem, ac sane magistris his viam monstrantibus multa feliciter soluta inveni, quae

aetate nostra a multis vel admodum leviter tractari, vel tanquam futilia abiici solent. Inaestimabile vero ex eorum lectione reportavi emolumentum, quippe egregie mentem acuebant atque in intimas dogmatum Christianorum rationes genuinasque origines me introducebant. Itaque haud mirum, me, quum Regis Augustissimi munificentia a. 1823. publicis sumtibus peregrinas terras studiorum causa visendi copia mihi facta est, huc imprimis oculos coniecisse, quo, si fieri potuit, scholastici aevi ex ipsis fontibus, impressis non solum dico (quibus Regia Havniensis Bibliotheca pollet), verum et scriptis libris, ingenium penitius rimarer. Flagrabat praeterea animus, statum ecclesiae inter alienas cognoscere ac perspicere, qua ratione quibusque mediis praesertim inter Protestantes Germaniae vitalis Evangelicae aurae spiritus iterum sufflatus sit. Denique et vetus illa propensio historiam literariam omnisque suppellectilis librariae rationes perscrutandi multa mihi in hoc itinere ac nova, instructionis pariter ac iucunditatis plena pollicebatur. At vero tam multifaria consiliorum diversitate obrutus integros huius per Germaniam, Galliam partemque Helvetiae profectionis vix fructus colligere potui. Descripsi equidem plura, quae partim ad Scholasticam theologiam, partim ad universam ecclesiae historiam spectabant: **ABAEIARDI** famosissimum librum „Sic et Non,“ quum iam **COUSINI**, patroni nostri in Gallia, opera editus est, eiusdem philosophi „Introductionis in Theologiam“ partem, quae hucusque in editis desiderabatur, „dialogum inter Christianum et Iudaeum,“ quem **RHEINWALDUS** postea foras

dedit, ex vastis **CLAUDII TAURINENSIS** in **Sacram Scripturam** commentariis selectos locos (quorum nonnisi specimen cum introductione de **Claudii** vita scriptisque a. 1824 edidi), **Epistolas NICOLAI de CLEMANGIS**, quae in **Lydiana** editione frustra quaeruntur, et alia complura, in bibliothecis **Pariensibus**, **Vindobonensi**, **Ratisboni** ad **S. Emmeramum** latentia; conquisivi et nonnulla, unde ampliorem expectavi lucem, frustranea opera (**GUALTERI** v. c. **librum de IV. Franciae Labyrinthis** et c.). Excussi etiam hac occasione multos libros; bibliothecarum dispositiones, leges, cimelia cognovi; varia scribendi genera, compendia, sigla ex manuscriptis animadverti; ac, quod semper inter gratissima numerare fas est, tum in virorum notitiam perveni, qui scriptis et ore **Evangelii** causam strenue vindicantes regni divini pomoeria proferebant, tum ipsum ingenium vitamque, ut ita dicam, religionis, qualem inter **Christianos** diversissimae conditionis sese exserit, dispicere contigit. At tamen dubium mihi oboriretur, an his omnibus vel mihi satisfacerim, vel eorum expectationi responderim, qui itineris sumtus fecerunt, nisi hoc etiam adfirmare auderem, fundamenta ibi iacta fuisse, quibus solidius postea aedificium, **Deo largiente**, superstruere liceret.

Iam ante hoc iter susceptum matrimonium inii cum virgine lectissima, **ELISABETHA MARIA BOENSOEE**, ex veteri prosapia **Danica** oriunda, quae, ut semper mihi fidissima coniux erat, ita vitae labores atque aerumnas una perferens omniumque discriminum integerrima socia, tum eximia prudentia ac provida mente sublevavit res meas, tum amore

in Deum ac Servatorem accensa omnia mea pro vera Evangelii doctrina tentata certamina voluntate, studio, precibus adiuvit. Ex hac dulcissima aestumatissimaeque coniuge quatuor liberos suscepi, quorum unus, filius minor natu, aeternas sedes praeoccupavit.

Reversus in patriam vergente anno 1824. multa simul moliebar. Iacebant, quarum editionem anhelavi, symbolae ad res medii aevi ecclesiasticas illustrandas, cum bibliopola, qui sumtus editionis faceret, deesset. Ad licentiam in theologica facultate praelectiones habendi adspirans dissertationem pro summis in Theologia honoribus „de symbolis ac typis Scripturae Sacrae“ conscripsi, quae, quamvis fugitivo calamo exarata, ita tamen theologiae Facultati Kiloniensi se probavit, ut, quos ambii, honores mihi ultro delati fuissent, nisi ex statutis huius Facultatis cautum fuisset, ne ulli ante gradus deferretur, quam publicum et quidem grave in ecclesia munus capessivisset. Praelectiones tamen hoc et insequenti anno de origine, fundamentis criticaeque librorum symbolicorum historia, concedente id Facultate theologica, in philosophica habebam. Qua re in accuratiorem symbolorum disquisitionem delatus, nihil omisi, unde lux huic materiae affunderetur: ad Patres ecclesiae recurri, in eorum doctrinam me insinuavi omnemque argumentandi rationem pernovi. Quae vero a me elaborata Confessionis Augustanae eiusdemque Apologiae versio Danica a. 1825. prelo commissa est, ea, quamvis notis criticis hic illic instructa ac praemissa historica de Confessionis initiis dissertatione munita, magis tamen ad populares usus

spectabat. Par erat ratio selectionis cuiusdam ex Patrum ecclesiae recentiorumque doctorum scriptis, a me institutae publicique iuris factae; hanc enim ita administravi, ut pietatis inprimis rationibus inserviret: neque sperata utilitas huic incepto defuit. Practicum quoque, si dicere fas est, ingenium sapuit, quod eodem anno currente cum Cel. GRUNDTVIGIO consilium cepi, doctrinam ecclesiae nostrae ab iniquis nonnullorum censuris libellis mensuris, vernaculo idiomate s. t.: „Theologisk Maanedsskrift“ editis, vindicandi, quod quidem tam prospero successu gaudebat, ut ad decem ac tria volumina opus perduceretur. Advocavimus in partem laboris viros, tum eruditione insignes, tum animo in ecclesiam prompto conspicuos, inter quos Cel. LINDBERGIIUM, Orientalium literarum rei que numismatae et antiquariae in nostra patria decus, honoris causa nomino; at longe potio rem operis partem ipsi sustinuimus. Haud adtinet dicere, quo animo hoc publicum pro ecclesia testimonium editum sit; nam hic etiam valebit verbum: „Deus suos novit:“ id unum notabo, cum a multis vitio nobis verteretur aspera quaedam in monendo, imo increpando ratio, hanc, si modo, fraterna caritate illaesa, imbecilles fide suscipiat conscientiasque non turbet, ante nos in ecclesia viguisse, imo prototypum suum in Paulo, gentium Apostolo, agnoscere, qui, quod omnibus constat, Petro iudizanti palam restitit, quin obiurgando eum ad meliorem mentem reduxit. Caeterum, quod et minime praeterire decet, illae Ephemerides, maximam partem coram doctis scriptae, pugnant quidem pro aris et focus, argumentis

vero haud e trivio petitis, sed ex ipso eruditae antiquitatis promo condo formatis incedebant. Longe eae post se reliquerunt iniquorum censorum convicia, quum, Deo annuente, hoc testimonio edito multi iuniorum Theologorum animi excitarentur atque sana Evangelii annuntiandi ratio maiores indies progressus faceret. — Pertinet quoque ad hoc lustrum a me adfectata „historia critica Symboli Apostolici,“ quae adhuc in scriniis meis latet.

Saepius hoc ipso temporis decursu munera circumspexi vel in ecclesia, vel in universitate, — inter utramque enim fluctuabat animus — quum Deus, sapientissimus rerum humanarum rector et moderator, subitum huic dubitationi finem imposuit. Evenit, ut a. 1828. amicissimo nostro HENGSTENBERGIO, Berolinensi Theologiae professori, ministerium Superintendentis dioeceseos Glauchaviensis in regno Saxoniae obferretur, quam provinciam cum ipse recusare coactus esset, mihi per literas tum conditionem totius rei significavit, tum enixe hortatus est, ut in vicem eius succederem. Diu haesitavi; nam paternos lares relinquere nimis operosum, imo luctuosum est; ac ne quidem postquam amici, quibus hortantibus obtemperare fas mihi videbatur, de omnibus removendis obstaculis solliciti fuissent, alacritatem tantum munus obeundi persentiebam. At si veteribus illis pietatis antesignanis credere oportet, hic ipse aversus animus saepius indicio esse debet, Deum sua consilia nobis reluctantibus pandere. Quod bene perpendens, curas missas feci, Deoque, qui hucusque misericordia sua me prosecutus est, rem commisi: uxore, liberis, re fami-

liari Saxoniam migratis, munus, quod dixi, a. 1829. ingressus sum, postquam mense Maio Dresdae tum binam orationem sacram *δοκιμαστικὴν*, tum coram Consistorio supremo Colloquium, sic dictum, habuissem, quod ulteriori fidei ac cognitionis Theologiae explorationi destinatum est. Priore illa oratione super verba Domini Ioh. XXI. ad resipiscentem Petrum habita, cum multis calamitosam rei Christianae nostris temporibus conditionem questus essem ipsumque *ἀρχιποιμένα* fervidis precibus adiissem, ut suae gregis misereretur, ipsis colloquentibus visus sum tela in Saxoniae ecclesias scholasque vibrare, ac vix compositis animis initium muneris multis modis insuave mihi redditum est. Neque tamen hac re avocari me passus sum, quo minus omni animi libertate, quae ministrum summi Regis decet, et peccata hominum vividis depingerem coloribus et consolationem, a multis speratam, Evangelii rite impertirem atque administrarem; insculptae enim erant animo magnificae illae promissiones, quibus suis Dominus spiritum et os contra omnes adversarios concedit, ipseque victor mortis atque inferni omnem nos deponere timorem iubet. Itaque cum multa mihi praetermissa explenda essent, omnes eo intendi vires, ut in concionibus dexteritatem et promptitudinem, in munere Consistoriali, mihi demandato, prudentiam iurisque ecclesiastici peritiam nanciscerer, in omnibus vero fidem cum bona conscientia servarem. Multa quidem ex ipsa temporis conditione tunc impedimenta obiiciebantur, cum quod omnes norunt, turbinibus e Gallia excitatis agitaretur respublica (1830), ac facie eiusdem instaurata

ecclesiae quoque novatio a nonnullis tentaretur. At quo magis persuasum semper habui, sacrarum rerum dispensatori negotia reipublicae attingere fas non esse, cum, Augustana nostra confessione docente, potestas spiritualis tantum exerceatur docendo seu praedicando verbum et porrigendo sacramenta, eo maiore animi ardore omnia, quae ad ecclesiae rationes spectabant, amplexus sum iisque me implicavi. An mea vox unquam in administrandis ecclesiae rebus audita sit, nescio: ego certe in iudiciis theologicis, quae pro vetere more in Saxonia a Superintendentibus expetuntur, semper curavi, tum ne exterior ecclesiae facies detrimenti aliquid caperet, tum ut bona illa, quibus viget ac spirat ecclesia, confessionem dico sacramentorumque dispensationem, integra inviolataque manerent. Sic a. 1830, cum sententia a nobis postularetur de nova Liturgia paranda, equidem omni opera adnissus sum, ut elementa vere Christiana, in Tittmanniana sacrorum formula obvia, servarentur, quae vero ibi minus nostrae ecclesiae indolem referunt, ad hanc normam componerentur atque instaurarentur. Sic cum a. 1832 a multis melior ecclesiae forma maiorque autonomia, ita ut summa rerum coram Synodis ac Presbyteriis ageretur, vehementer flagitata est, equidem huic iustae legitimaeque petitioni haud obstiti, monere tamen fas mihi duxi, quot difficultatibus omne hoc negotium aevo praesertim, ubi conscientia fundamentorum dignitatisque ecclesiae e multorum animis evanuit, necessario impeditum sit. Sic, ut caetera omittam, cum elapso anno (1840) disquirebatur, qua ratione quibusque mediis examina,

quae vocant, catechetica seu exploratio adolescentium in fide revocari possent in vitam, omnis catecheticae in nostra ecclesia institutionis rationem, ordinem, adminicula data opera investigavi, experientiamque meam cum iis, quibus summum rerum ecclesiasticarum moderamen traditum est, communicavi. Horum iudiciorum a me scriptorum nonnulla prelo commissa sunt, plura forsitan serius evulgabuntur.

Quae vero his annis certamina in ecclesia commitebantur, cum infestis multorum a fide aberrantium armis impugnata sit, me quoque habuerunt attentum observatorem, nonnunquam et, quantum muneris ratio permittebat, *παρουστάτην*. Dolui, quod a multis, imo doctoribus ecclesiae, in gratiam novaturientis aurae, sana doctrina deserta, rationi humanae nimium fragili habenae committerentur, quae solum verbo divino revelationique per Deum in Iesu Christo factae debitae sunt: singulari itaque scripto „de Rationalismi indole eiusque ad ecclesiam et civitatem Christianam ratione“ (1830) vanitatem huius conaminis ac lubrica istius causae patronorum effugia ante oculos ponere mihi sumsi; vicissim, ipsam rem acu tangens, in sacramentorum ecclesiae formulas certas, earum origines, ambitum, dignitatem scripto inquisivi (1837), atque omnem symbolorum constitutionem, introductione historico-critica in Confessionem Augustanam edita (1841), illustravi. Intimo moerore confixus sum, cum iam inde ab a 1832 molimina vidi, quibus sub specioso pacis ecclesiasticae praetextu nostrae ecclesiae periclitabantur, vidi confessores oppressos, imo e patria terra profugos; itaque operae

pretium mihi visum est, interiores rationes, quibus ecclesia sic dicta Reformata ab Evāgelico-Lutherana divulsa sit, ac varias compositionis inter utramque ecclesiam vias, tam saepe infeliciter tentatas, explorare, quod scripto, hunc prae se ferente indicem: „de Reformatione, Lutheranismō atque unione ecclesiarum“ (1839) prosecutus sum. Sicut vero hoc opere historicam inquirendi rationem, ut tutissimam simul ac fructuosissimam, elegi, ita iam antea complura tum ex iis, quae praesenti temporeolvebantur in ecclesia, tum ex praeteritorum temporum memoria delibavi. Pertinent huc scriptum de Martyris Florentini, HIERONYMI SAVONAROLAE, vita, exitu, scriptis atque doctrina (1835), symbolae nonnullae ad historiam missionis evangelicae in terris septentrionalibus (1832. 1840), descriptio vitae BUGHAGII (1841) et alia, quorum recensum sequens scriptorum meorum Catalogus dabit. Commemorabo etiam, quod apprime ad totam vitae meae rationem facit, mihi nunquam humanitatis studia viluisse, ita ut ea squalere sinerem; imo ut coticulas animi linguarum studium, sanam et sobriam philosophiam, historiam ac rei antiquae peritiam semper suspexi. Itaque praeter scriptiones theologicas nonnulla emisi, quae linguam patriam literarumque in Dania historiam spectant: plura forsā, Deo annuente, cum literato orbe communicabo. Hinc et, ut opinor, factum est, ut societas illa inclytissima, quae antiquis Septentrionalium terrarum historicis ac poëticis scriptis edendis indefessam operam navat („Kongelig Nordisk Oldskriftselskab“) a. 1838. me sibi sodalem adscripserit.

Denique quae in ipso munere ecclesiastico gerendo assecutus sim, quid praestiterim, aut in quibus offenderim, eorum penes alios iudicium esto. Adsunt, quod ad Evangelii explanationem adtinet, publica testimonia, quum quatuor mearum orationum sacrarum, praeter multas seorsim editas, volumina ante oculos iacent. Caeterum dum huic narrationi finem impono, non possum, quin Deo, luminum patri, ob intimum amorem, quo me propter Christum amplexus est, enixissimas gratias persolvam; ipsi me meaque humiliter commendo, hoc unicum ab eo petens, ut, quae mihi demum sors cadat, quave in posterum utar fortuna, ab eius gratia non excidam, ipsius firmiter verbum teneam, nec unquam ab eo animo recedam, qui Iesu Christi servos decet, quibus cum Apostolo testari fas erit, Dominum ipsum suos ministros iudicare, parum humanae opinionis auram curantes, dummodo coram ipso fidelitas eorum probetur.

---

## INDEX SCRIPTORUM MEORUM, MAXIME SECUNDUM ANNORUM SERIEM DISPOSITUS.

1) Commentatio de origine, indole, dignitate poeseos apud Graecos dithyrambicae, praemio Facultatis philos. Havniensis ornata (1815), prelo non commissa.

2) De Ethices principiis hucusque vulgo traditis disquisitio historico-critica. Havn. 1822. 8. [Cf. Revue encyclopédique; 1827. Nov.]

3) Symbolae ad Bibliothecae novae theologiae a Prof. I. Moellero editae Vol. IV:

a) *Bemaerkninger over Clausens Kritik og Fremstilling af Underbegrebet* (Vindicatio obiectivae miraculorum notionis).

b) *Om en vis Modification i Hypotesen om en mundtlig Tradition som Forklaringsgrund til de tre første Evangeliers Overeenstemmelse* (de hypothesi, consensum trium priorum Evangelistarum ex traditione quadam primitiva repetendam esse). [Cf. Leipziger Liter. Zeit. 1824, no. 71.]

4) CLAUDII TAURIRENSIS ineditorum Operum specimina, praemissa de eius doctrina scriptisque dissertatione. Havn. 1824. 8.

5) De typis ac symbolis Scripturae sacrae dissertatio. Havn. 1824. 8.

6) *Den rette uforandrede Augsburgske Troesbekjendelse med sammes af Phil. Melanchthon forfattede Apologie, paa Dansk oversatte med en historisk Indledning og oplysende Anmaerkninger. Kbhvn. 1825.* 8. (Confessio Augustana invariata eiusdemque Apologia, in Danicam linguam translatae, introductione historica notisque illustratae).

7) THOMAS A KEMPIS *om Christi Efterfølgelse, fire Böger, med Indledning og Forfatterens Levnetsløb. Kbhvn. 1826.* 8. (Thomas a Kempis de imitatione Christi libri IV, in Danicam linguam conversi, praemissa introductione et vita auctoris). [Cf. *Dansk Literaturtidende*, 1828. no. 23.]

8) *Christelig Trøstebog, samlet af Kirkens Faedres og fromme Bekjenderes Skrifter, med korte Efterretninger om Forfatterens Liv og Levnet. 1ste Afdeling Kbhvn. 1827.* 8. (Liber consolatorius, ex Patrum ecclesiae confessorumque scriptis congestus, subiunctis auctorum vitis. [Cf. *Dansk Literaturtidende*, 1828. no. 23.]

9) *Theologisk Maanedsskrift af GRUNDTVIG og RUDELACH. 1—13de Bind. Kbhvn. 1825—1828.* 8. (Commentarii theologici menstrui, a Grundtvig et Rudelbach editi. Vol. I—XIII.) Quae in hos commentarios a

me collata sunt, maximam partem censurae librorum, qui ad dogmaticam, religionis philosophiam, historiam ecclesiasticam pertinent, ea omnia auctoris nomen ostendunt.

10) Sigillatim lingua Danica editae conciones ac scriptiunculae, partim polemicae, partim asceticae, his titulis praeifixis: *Det store Naademaaltid. Kbhvn. 1824. Tale, holden i det Danske Missionsselskab. ib. 1825. Aandeligt Feldtraab i Kirkens Traengselsdage af J. da Costa. ib. 1825. De falske Propheters Kjendetegn. ib. 1828. J. F. Oberlins Levnet og kirkelige Virksomhed i en Dansk Bearbejdelse. ib. 1828. Saul iblandt Propheterne. Et Stridsskrift imod H. N. Clausen. ib. 1828.*

11) Symbolae ad Ephemerides ecclesiasticas, quae nomine „*Evangelische Kirchenzeitung*“ a Cel. HENGSTENBERGIO editae sunt, potissimum hae:

- a) *Das Christenthum und die Rationalisten in Dänemark seit dem Ausgange des vorigen Jahrhunderts: Evang. Kirchenz. 1827, n. 51—52. 1828, n. 55—57. 62. 63. 1830, n. 5—8. 1831, n. 69. 70. 73—75. 1832, n. 49—51. 1835, n. 29—33.*
- b) *Streitschrift des Probstes Bergqwist wider die de Wette'sche Religions- und Offenbarungstheorie. 1828. n. 36—39.*
- c) *Ueber D. Neanders Schriften. 1828. n. 44.*
- d) *Der Tendenzprocess gegen den Adjunct M. J. Lindberg. 1830. n. 37—38.*
- e) *Ueber J. A. Bengel mit Beziehung auf die*

*Schrift Burks über Bengels Leben.* 1832.  
n. 15—17.

f) *Mittheilungen aus der neuesten christlich-theologischen Literatur Schwedens.* 1835. n. 52—57.

Praeterea nova quaedam tum ad literarum theologicarum, tum ad ecclesiae Septentrionis historiam spectantia hic illic a me his Ephemeridibus in-  
spersa sunt.

12) Symbolae ad Ephemerides theologico-literarias, quibus nomen: „*Literarischer Anzeiger für christliche Theologie und Wissenschaft*,“ a Cel. THOLUCKIO editas, impositum est:

a) *Zur Pastoraltheologie in einer beurtheilenden Anzeige der Pastoraltheologie von Cl. Harms.* 1832. n. 30—34.

b) *Blicke auf die neueste theologische Literatur Schwedens seit dem Jahre 1823.* 1832. n. 4—8.

13) Symbolae ad Ephemerides theologico-homileticas, quae sub nomine „*Homiletisch-liturgisches Correspondenzblatt*“ editae sunt, pauciores, ex quibus solum commemorabo: *Die praktische Richtung der Schleiermacherschen Theologie, dargelegt in einem Ueberblick des dogmatischen Inhalts seiner Predigten über die Augsburger Confession.* (Geschrieben 1832.) 1835, n. 22—24. [Cf. *Rheinwald allgem. Repertorium für theolog. Literatur*, Vol. XXII. 37 sqq.]

14) Symbolae ad Ephemerides theologicas, a Cel. LINDBERGIO s. t.: „*Maanedsskrift for Christendom og*

*Historie*“ (1830. 1831.) editas, inter quas maximum spatium occupat: *Indledning til den christelige Dogmatik fra den rene kirkelige Standpunkt, eller Kritik over Prof. Twestens dogmatiske Forelaesninger* (Introductio ad Dogmaticam Christianam, ad normam ecclesiae traditam, s. Crisis amplior in Cel. Twostenii praelectiones dogmaticas). Vol. II, fasc. 1. 2. 4.

15) *Das Wesen des Rationalismus und das Verhältniss desselben zur christlichen Kirche und zum christlichen Staate*. Lpz. 1830. 8. Hic liber, ex parte in linguam Danicam conversus (*V. Wexels Tidsskrift for Kirke-Krönike og christelig Theologie*. Vol. I. fasc. 4.) antigraphum provocavit auctore Pseudonymo, qui „Religiosi veri“ nomen ambiit. [Cf. Leipz. Liter. Zeitung 1833, Febr.]

16) *Die Augsburgerische Confession 1530. Historische Darstellung aus und nach den Quellen*. Lpz. 1830. 8. [Cf. Allg. Hallische Liter. Zeitung, 1830. n. 124.]

17) *Kampf mit der Welt und Friede in Christo. Eine Sammlung christlicher Predigten und Homilien*. Lpz. 1830. 8.

18) Sigillatim editae conciones lingua Germanica: *Die Kennzeichen der falschen Propheten*. Berl. 1829. *Die Einsetzung des christlichen Hirtenamts*. Dresd. 1829. *Das Reich Jesu Christi*. Lpz. 1829. *Die Reformation ein Werk aus Gott und nicht aus Menschen*. ib. 1830. *Der Bund des Volks mit dem Fürsten, Predigt am Sächsischen Constitutionsfeste*. ib. 1832. *Die Herrlichkeit des Christenthums*. Waldenb. 1835.

*Der Segen der Lutherischen Reformation.* Lpz. 1836.  
*Der Glaube an den eingebornen Sohn Gottes ist das Einzige, was uns volle Freudigkeit geben kann in der Todesstunde.* ib. 1837. Exstant inter has conciones, quae in linguam Danicam et Suecicam conversa sunt.

19) *Vierzehn Thesen über die Einrichtung von Presbyterien und Synoden im Königreich Sachsen.* Lpz. 1832. 8.

20) *Die Finnisch-Lappische Mission bis 1726 und das Leben des ersten Apostels der Norwegischen Finnen, Thomas von Westens. Historische Darstellung aus den Quellen.* Commentarius hic insertus est libro inscripto: „*Christoterpe, 1832,*“ a Cel. ALB. KNAPP edito. [Cf. *Rheinwald allg. Repertorium für theolog. Literatur* 1. Bd. 1833, S. 69.] Super illum Pastor Bremensis MEINERTZHAGEN a. 1834. publicas Bremae praelectiones habuit. Conversus quoque est in linguam Danicam auctore J. P. Oestrup. V. *Nordisk Kirketidende* 1833, n. 38. 39. 41.

21) *Symbolae ad Ephemerides s. t.: „Nordisk Kirketidende“* a Cel. LINDBERGIO editas pauciores, inter quas commemorabo: „*Er Forsagelsen i den gammel kirkelige Form et vaesentligt Stykke af vor Daabspagt, eller ikke?*“ (De abrenuntiationis formula in Baptismo usitata eiusque vi atque origine). 1833, n. 17—20.

22) *Der Herr kommt. Eine Sammlung christlicher Predigten und Homilien auf alle Sonn- und Festtage des Kirchenjahres.* 1—2 Bd. Lpz. 1833—1834.

[Cf. *Rheinwald allg. Repertor. für theolog. Literatur.* Vol. XII, p. 153 sqq. Vol. XIII, p. 252.]

23) *Hieronimus Savonarola und seine Zeit. Aus den Quellen dargestellt.* Hamb. 1835. 8. [Cf. *Berliner Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik*, 1836, n. 21. 22. *Blätter für liter. Unterhaltung*. 1837. n. 248. *Nordisk Kirketidende*, 1836, n. 12—14.]

24) *Dänische Sprache und Literatur.* Commentatio, adumbrationem literaturae Danicae a Reformationis inde aevo sistens, praemissa introductione de genio, cultu, fontibus linguae Danicae atque de literis in Islandia florentibus. Inserta ea est grandi operi, quod inscribitur: *Encyclopädie der Wissenschaften und Künste*, herausgegeben von *ERSCH und GRUBER*, Sectionis 1. Vol. XXIX. (1837). 4.

25) *Die Sacramentworte oder die wesentlichen Stücke der Taufe und des Abendmahls, historisch-kritisch dargestellt. Nebst zwei theologischen Gutachten über die Sächsische Agende von 1812 und über das Perikopensystem.* Lpz. 1837. 8. [Cf. *Rheinwald allg. Repertor. für theolog. Literatur*, Vol. XX. p. 208 sqq. *Nordisk Kirketidende*, 1837, n. 47.]

26) *Herren kommer. En Samling af christelige Praedikener og Homilier paa alle Søn- og Helligdage over udvalgte Texter af det Gamle og Nye Testamente. Christelig Huuspostille.* Kbhvn. 1837. 4. Quae sermonum, Germanico idiomate habitorum, collectio sub n. 21. adparet, eam hic, liberio rem rationem secutus, nonnullis

emendatis, in Danicam transtuli linguam. Ceterum haec „Postilla Danica“ prospera imprimis, Deo largiente, fortuna usus est, cum non solum in ipsa Dania, verum etiam in Norvagia atque Islandia disseminata sit. [Cf. *Nordisk Kirketidende*, 1838, n. 27 — 29.]

27) *GRUNDTVIGS Uebersicht der Weltchronik vornämlich des Lutherischen Zeitraums, nach der Ausgabe von 1817 übertragen von D. Volkmann. Durchgesehen und mit einigen Anmerkungen begleitet von D. A. G. Rudelbach. Nürnberg. 1837. 8. Ut titulus prae se fert, versionem hanc egregii libri, ab amico confectam, sedulo recognovi notulasque ad calcem adpersi.*

28) *Reformation, Lutherthum und Union. Eine historisch - dogmatische Apologie der Lutherischen Kirche und ihres Lehrbegriffs. Lpz. 1839. 8. [Cf. *Evangel. Kirchenzeitung*, 1839, n. 62 — 66. 73 — 75. *Blätter für literar. Unterhaltung*, 1839. n. 58 — 59. *J. P. Lange vermischte Schriften*, 4. Bd. S. 1 ff.]*

29) *Symbolae ad Ephemerides, quae inscribuntur: „Blätter für literarische Unterhaltung, 1839,“ sequentes:*

a) *Ueber die neuesten Bearbeitungen der Nordischen Mythologie, namentlich die von GRUNDTVIG.*

b) *Ueber das Leben und die Werke des dänischen Dichters B. S. INGEMANN.*

30) *Biblischer Wegweiser in einer vollständigen Sammlung christlicher Predigten und Homilien auf alle Sonn- und Festtage des Kirchenjahres. 1. Band. Lpz. 1840. 8.*

31) *Die Grundveste der Lutherischen Kirchenlehre und Friedenspraxis. Streitschrift wider D. K. H. Sack und D. F. C. Baur. Lpz. 1840. 8.*

32) *Symbolae ad Lexicon, quod inscribitur: „Conversationslexicon der Gegenwart“ (Vol. I—IV, Lpz. 1838—1841. 8.), quae vitas doctorum in Daniae regno virorum et literarum ibi novissimi temporis historiam spectant. Insignitae eae sunt nota 77.*

33) *Zeitschrift für die gesammte Lutherische Theologie und Kirche, herausgegeben von D. RUDELBACH und D. GUERIKE. Vol. I. Lps. 1840. Vol. II. ib. 1841. Quae his commentariis inserui, partim ad Dogmaticam, partim ad historiam ecclesiasticam et crisin librorum theologorum spectantia, ea omnia auctoris nomen profitentur.*

34) *Evangelische Zeugnisse aus Sachsen, herausgegeben von D. RUDELBACH und M. JASPIS. 1—4 Heft. Dresd. 1840—1842. 8. Non nisi unicum concionem sacram et praefationem de toto incepto tractantem huc contuli.*

35) *Joh. Bugenhagens Leben. Inserta est haec vita Fasciculo 1. collectionis, cui nomen: „Bildersaal der Zeugen und Helden der Reformationszeit“ (Dresden 1841) impositum est.*

36) *Amtliches Gutachten über die Wiedereinführung der Katechismus-Examina im Königreich Sachsen nebst historischer Erörterung der Katechismus-Anstalten in der evangelisch-lutherischen Kirche Deutschlands. Dresden 1841. 8.*

37) *Historisch-kritische Einleitung in die Augsburgische Confession nebst erneuerter Untersuchung der Verbindlichkeit der Symbole und der Verpflichtung auf dieselben. Dresden 1841. 8.*

---



